

**Dissertatio paedagogica de arte gymnastica, cuius particulam priorem ... /
exhibent praeses A.O. Lindfors ... et resp. Petrus Granstrand.**

Contributors

Lindfors, And. Otto 1781-1841.
Granstrand, Petrus.
Lunds universitet.

Publication/Creation

Lund : 'Lit. Berlingianis.', [1803]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/t8qmmb6g>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



33677/A

Edgar T. C. Gray

DISSERTATIO PÆDAGOGICA
DE
ARTE GYMNASTICA,

CUJUS PARTICULARAM PRIOREM
CONSENT. AMPLISS. PHILOSOPHOR. ORD. LUND.

EXHIBENT

PRÆSES

ANDR. O. LINDFORS,

PHILOSOPH MAGISTER,

ET

RESPONDENS

PETRUS GRANSTRAND,

SMOLANDI,

IN LYCEO CAROLINO D. VII MAJI MDCCCLIII.

LUNDÆ,

LITERIS BERLINGIANIS.

In
SACRAM REGIAM MAJESTATEM

MAGNÆ FIDEI VIRO,

REVERENDISSIMO ET CELEBERRIMO

SAMUELI HEURLIN,

S. S. Theol. Doct. Profess. Reg. Præpos. Territ.

Uppvid. Pastor. Parœciæ Åsheda & Soc.

Physiogr. Lund. Membro,

Ut Et

VIRO PLURIMUM REVERENDO

JONÆ WETTERLING,

Pastor. Parœciar. Nottebeck & Granhult,

Patronis Optimis.

Voluit animus, beneficiorum memor, hoc medo suæ in
Nomina Vestra reverentiae satisfacere.

303950



Observantissime
PETRUS GRANSTRAND.

Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

JUVENAL.

I. Quoniam homo e duabus partibus, ar-
etissimo vinculo & societate conjunctis, constat,
quarum utraque per se indigens, altera sine alterius
auxilio vires suas facultatesque ostendere nequit;
bene profecto præcipere mihi videntur, qui mo-
nent, corpus & animum simul excercenda esse in
labore, ad eamque normam dirigenda, ut possint
amicas, in negotiis conficiendis, sibi manus porri-
gere. Nempe quid hoc turpius dici aut fieri pot-
est, quam hominem, soli animo indulgentem, illi-
que a natura insitos virtutum igniculos excitantem,
nihil omnino temporis & diligentiae, in corpore
colendo, ejusque facultatibus augendis, collocare?
Quid contra honestius, quid utilius est, quam, cum
animo valeas, curare & perficere, ut etiam corpo-
re valere possis? Quamquam in animo, utpote
quo nihil homini Deus tribuerit divinus, majorem
fane vim & egregiorum facinorum laudem reposi-

a 2 tam

tam cernimus; corporis tamen illiusque partium non parvam censemus auctoritatem, quas certe opus est valere & vigere, naturales motus & usus habere. Ut enim nihil dicam de sensibus, rerum objectarum nuntiis & interpretibus, qui certe, ad eas percipiendas, idonei esse debent; est præterea corpus quasi aliquod animi receptaculum & instrumentum, cuius omnes partes aptæ sint & integræ necesse est, ut consilio etiam rationis, in exsequendis negotiis & in labore tolerando, recte obedire possint. Neque enim animus, si corpus ægrotat, bene gubernabit, nec hoc ipsum animi, magna & præclara jubentis, recte parebit imperio a). In ægro & male affecto corpore, aut in detortis & imminutis membris, atque ad munera vitæ obeunda ineptis, si neque tuis, neque alienis causis inservire possis; quid tum omnino refert, artes & doctrinas memoria & animo comprehendisse, omniumque vel maximarum rerum cognitionem tenere? Itaque accepimus, veteres illum *claudum* appellandum dixisse, qui, solum animum exercens, corpus ignavia & otio tabescere & consumi patitur. Quibus ita assentimur, ut eorum segnitiem & inertiam per graviter castigandam censeamus, qui, in parvulis educandis, hoc solum in officio putent sibique prop.

a) Il faut que le corps ait de la vigueur pour obéir à l'ame; un bon serviteur doit être robuste. Plus le corps est faible, plus il commande; plus il est fort, plus il obéit. Emile ou de l'Education par J. J. ROUSSEAU T. I, L. I. p. 43. à Amsterdam 1774.

ponant, ut varias res, s^æpe obscuras, atque ab intelligentia discentium abhorrentes, easdemque non necessarias, memoriae eorum tradant, vel potius inculcent, quique iidem corpus aut parum admodum current, aut plane negligant. Contra accuratius de educandi arte reputando inveniemus, prima illius studia eo in primis spectare debere, ut sanum & aptum laborumque patiens habeant corpus; præsertim cum, in eo ingenii cultu, qui nimis celeriter ad maturitatem properet, non posse esse succum diuturnum, jam dudum experientia evictum sit. Ut enim lumen, cui nimis olei instilles, repente extinguitur; ita ingenii, cuius infirmitatem præceptis quam plurimis & contortis oneres, acies omnis habescit. Præclarum enim illud: *Leurs défauts du corps & de l'esprit viennent presque tous de la même cause: on les veut faire hommes avant le temps* b). Qua tanta cogitandi agendique perveritate accidit, ut tempus, opera, labor, in frivolis & inanibus turpissime perdantur, vires animi & corporis debilitentur, funestissimique morbi contrahantur. Hinc parentibus meceror nascitur, hinc patriæ multorum civium damnum. — Hoc quoque loco notandam putavi mollem illam educationem seu indulgentiam, quæ infantiam deliciis solvit, nervosque omnes & mentis & corporis frangit. Quid non ille concupiscet, cuius palatus exquisitissimis epulis inde ab ipsa infantia excitatus & delinitus est? Quid roboris & ad labores firmita-

b) Enile Tom. I, L. II. p. 222 & 223.

mitatis ille consequetur, qui parvulus in culcita
plumea quievit, & in stragulis sericis repsat c)?
Quid mali & doloris ille tolerabit, qui intra parie-
tes & veluti in opaco mollitiis adhæsic, nec umquam
varium cæli ventique morem perferre consuevit?
Sic enim sentio, iners & desidiosum otium, non
solum artus solvere & membra malo sanguine im-
plere, sed etiam vires & vigorem animi imminu-
ere & frangere, perpessionemque denique dolorum
& laborum efficere difficultorem. Quod certe in illis
adolescentulis videre licet, qui nimia & perversa
parentum indulgentia, quæ ab imperitis humanitas
vocatur, ab omnibus laboribus & periculis prohi-
biti otiosam & mollitiis disfluentem infantiam dege-
runt: quorum quidem imbecillitatem & ignaviam
si cum aliorum vigore & in laboribus fortitudine,
qui mala & pericula a primis annis pati & superare
didicerunt, comparaveris, tantum profecto, sive ani-
mi, sive corporis conformatiōnem respexeris, in-
teresse videbis, ut vix dicendum sit. Quo in ge-
nere multo melius res suas instituerunt majores
nostrī, qui, nihil turpius aut nequius effeminato
viro judicantes, liberos suos inde a primo ortu ex
domum penetalibus in liberum cælum & aërem
eduētos, ad dolorum patientiam & mala, quibus
multis & variis fortuna humana obnoxia est, per-
ferenda toleranter obdurescere voluerunt. Quorum
vitam

c) JOH. LOCKES Tankar och Anmärkningar angående
Ungdomens upfostring Öfv. Stockh. 1709. § 23 p.
26. 8:o.

vitam & facta animo ac memoria repetentes, non satis mirari possumus tum robur corporis & firmatatem, tum constantiam animi & fortitudinem; quibus quantum nepotes suos ac posteros præstiterint, pudeat sane memorare. Homines enim postquam vino ciboque se ingurgitare, otio & luxuria difluere, munditiis urbanis se exercere, & corporis exercitationes negligere, ac pro nihilo putare cœperunt; tum demum pristinum illud & naturale roboris & valetudinis præsidium, plerumque in cordiam & ignaviam, magnamque viam morborum, quorum vel ipsum nomen antiquitus inauditum fuit, sensim & pedetentim abiit. Quorum malorum causam & originem si quis in ipsa natura, quasi sua sponte a virtute degenerasset, quærendam putaret, hunc certe non sine risu dimittimus. Omnis enim culpa in nosmet ipsos, qui maximas virtutes aut corrumpimus, aut certe dormire sinimus, conferenda est. Summe itaque in eo elaborandum erit, ut pristina & naturalis generis humani virtus revocetur, aut, si hoc in ejusmodi vitæ & morum civilium consuetudine nimis magnum & difficile videatur, ne tandem tota ad inertiam & voluptatem corporis pessumdetur. Quid enim homine indignius, quid turpius, quid denique ad officiorum moderationem hoc perniciosius esse potest, quam animum in molestiis anxium, & in timore humilem, & ad labores mollem gerere d?)

Qui-

d) Celui d'entre nous, qui fait le mieux supporter les biens & les maux de cette vie, est le mieux élevé. Emi-

Quibus igitur inter se collatis, &, ut par est, perpensis, clarissimum omnibus erit, nos hunc perfectum hominem statuere, qualis est nobis animo fingendus, in quo omnes & mentis & corporis vires, aptæ inter se & convenientes, atque ad unum spectantes exitum, quasi harmoniam quandam efficiant e). Quæ si efficietur, minime negligendum est corpus, quippe quod in vires animi tantum imperii & potestatis habet, ut bonus illius habitus agitatem mentis ac sollertia incitet & acuat, ægrotatio contra & imbecillitas omnes animi motus retardet atque corrum pat f). Hoc enim probe tenendum est, (quod etsi prius dictum est, dicendum tamen est saepius,) omnia in nobis claudicare, nisi

le Tom. I. L. I. p. 13. — Vereinigen wir in Gedanken die Körperlichen Vollkommenheiten des Naturmenschens mit der Geisteskultur des verfeinerten Erdbewohners: so erblicken wir das Schönste Ideal unserer Gattung ein Ideal, bey dessen Anblick unser Herz stärker schlägt. Gymnastik für die Jugend. Enthaltend eine praktische Anweisung zu Leibesübungen von GUTSMUTHS. Schnepf. 1793. Erst. Absch. 5:ter Abth. pag. 191 & 192.

- e) Le grand secret de l'éducation est de faire, que les exercices du corps & ceux de l'esprit servent toujours de délassement les uns aux autres. Emile T. II. L. III. p. 96.
- f) Loin que la véritable raison de l'homme se forme indépendamment du corps, c'est la bonne constitution du corps, qui rend les opérations de l'esprit faciles & sûres. Emile Tom. I. L. II. p. 220.

nisi corpus sanum, firmum & aptum fuerit. Cum vero multa & gravia, quæ bonam corporis valitudinem & firmitatem pararent & augerent, a Medicis notata & præcepta sint; tum equidem nescio, an ulla alia ars, præter hanc Gymnasticam, quæ in motu & exercitatione corporis totum suum campum habet & locum, aut utilior sit, aut magis necessaria. Cujus usus varius & multiplex in primis & optime, in parvulis educandis, se ostendit, quorum omnes corporis partes, molles adhuc & teneræ, & ad quamcunque formam flexibles, non alia re magis, quam movendo & exercendo, ad justam magnitudinem firmitatemque adolescere, & apte conformari possint. Sive enim bona valetudo & habitus quæritur, sive firmitas & nervositas corporis, cum agilitate & velocitate; aut omnino nulla ars est, aut hæc sola in exercendo posita, per quam summa ea bona consequamur & tueamur. Quorum bonorum, præterquam quod ad perfecti hominis exemplum pertinent, tanta est in vita vulgari ad munera exequenda utilitas & necessitas, ut, qui ea desiderent, inepti omnino & infelices sint judicandi, quid quod, vel permultis temporibus, in ipsius vitæ periculum & discrimen incidant. Sin autem eximia corporis pulchritudo quæritur, quæ constat in apta membrorum figura & temperantia, cum coloris quadam suavitate; quis est qui nesciat, quantum exercendi ratio, ad partes omnes quodam lepore consentientes efficiendas, & lineamenta oris flore & colore ornanda valeat;

b

quæ

quæ certe omnia alia in hac re spinosa & subtilia inventa longe superat. Ut vero ad illa summa veniamus, mirum est, ut pulchritudo mentis, ejusque comites, constantia, fortitudo cum firmitate & stabilitate, omnes denique animi virtutes motu & exercitatione corporis foveantur, alantur & augeantur. Hanc enim in laboribus & periculis vim esse sentio, ut animus ad mala, quæ nec vitari, nec averti humanis viribus possint, perferenda toleranter, & quantum fieri possit, oblietendum dolori acrior & fortior evadat. His de universa vi & laude artis Gymnasticæ breviter dictis, nonnulla, cum ad ipsa exercendi genera perventum fuerit, strictim attingam. Neque, credo, ullus dubitationi locus. Artem enim Gymnasticam, ad perfectum hominem fingendum, & optimum virium humanarum concentum efficiendum, perquam utilem esse ac prorsus necessariam, antiquitus creditum fuit, nec recentius negatum est g). Quibus de causis, magnopere hoc dolendum mihi videtur, laudatam artem a nostris hominibus, nostrisque temporibus ita neglectam esse, ut potius in contemptum, quam oblivionem abiisse videatur. Cui rei hoc ipsum claro erit documento, quod nihil omnino temporis & institutionis, in Scholis & Gymnasiis, parum autem in Academiis, in hac arte tradenda, adhibetur, cum tamen, præter hæc bonarum

g) Cfr. PLATO. de rep. L. III. T. II. p. 403 seqq. ubi multa de præstantia & utilitate Gymnastices diviximus disputata invenies. GUTSMUTHS I. c. p. 188—259.

narum artium seminaria, non aliis mihi aptior locus videtur, ubi, summa cum felicitate & utilitate, exercitationes corporis suscipi possint. Utcumque autem hæc existimata erant, juvabit tamen nonnulla de hac arte commentari. Qui vero perfectum opus a me desiderat, is neque scientiæ & ingenii mei mediocritatem, nec rei magnitudinem sat is perspicit.

II. Jam, quid de hac arte veteres senserint, paucis ostendere luet: a quibus, in primis vero a Græcis & Romanis, ita celebrata fuit, ut nemo satis illis, quæ studia libero digna spectant, eruditus haberetur, quin ea omnia, quæ ad ludos Gymnicos pertinerent, probe scienterque didicerit. Præcipuus tamen & primus apud illos, ut omnino apud antiquos populos, artis Gymnasticæ finis & fructus belli gloriam spectavit, eoque potissimum consilio illa exulta fuit & adolescentibus commendata, quo magis ad militares operas, ad jaculorum & sagittarum missiones, ad venationes viribus & arte valerent h). Scilicet hoc antiquis hominibus fuit bellandi genus, ut rès militaris magis viribus & velocitate corporis, quam virtute animi, procederet, quippe quæ in concursu prælia abiret a consilio ad vires vimque pugnantium. Unde ars Gymnastica, quam *Militarem* vocant, natales suos duxit.

b 2

Deinde

h) PLUTARCHUS περὶ παιδωναγωγῶν, seu de puerorum institutione, Cap. 10. cfr. SALLUST. Bell. Jug. C, 6.

Deinde vero, comperto, quantum ad corpus firmandum & roborandum, exercitatio & motus valeret, finis illius a belli utilitate ad valetudinis curam abiit. Et sic orta est ars Gymnastica *Medicinalis*, quæ, usque a remotissima antiquitate, & quidem a tempore Herodici, qui Hippocrati fere æquallis fuit i), præstantissimam medicinæ partem constituit, quæ non solum in iis, quæ corpori & valetudini damno forent, avertendis, sed etiam in jam affectis corporibus curandis & reficiendis versata, magnam sibi, ex medendi virtute, laudem & admirationem peperit k). Quibus duobus generibus tertium *Athleticæ* addi potest, quæ ludos illos solennes & celeberrimos, in Numinis institutos, dies festivitatis & lætitiae plenissimos, spectavit. Quorum ludorum quattuor genera apud Græcos comperio, ex loco aut institutore Olympici, Pythii, Isthmii, Nemeæi dicti, quibus nihil est apud scriptores celebratius l). Quare etiam maxima & magnificentissima publice privatimque, in omnibus nobilioribus urbibus, exstructa fuerunt Gymnasia, quæ eadem apud Romanos Palæstræ dicta sunt, in quibus & adolescentes & viri, variis in studiis, quæcunque

- i) HIERONYM. MERCURIALIS de Arte Gymnastica. L. I.
c 5. Venetiis 1573. Cfr. PLATO. l. c.
- k) HIERONYM. MERCURIALIS L. I. C. III. Chirurgisk och Medicinsk Gymnastik af TISSOT. Öfv. Stockh. 1797. 8:o. Inledning.
- j) POLYDOR. VERGILIUS de rerum inventoribus. L. II. C;
III.

cunque ipsi cuperent, in luctando, saliendo, currendo, in disco, jaculatione, Gymnastis praeuntibus, roboris, velocitatis & valetudinis gratia, se exercebant m). Ad quæ loca convenerunt cum Athletæ, qui ibi se exercebant, ut in publicis ludis seu in sacris certaminibus possent & populum delectare, & victoria præmiisque propositis potiri, cum adolescentes, qui vel militaris disciplinæ & fortitudinis, vel sanitatis tuendæ & boni habitus comparandi gratia, exercitationum generibus incumbebant, cum denique Philosophi, Rethores & alii literarum studiosi, qui ibi legebant, colloquebantur, inter seque disputabant n). Quæ corporis exercitia quanti fecerit antiquitas, vel maxime ex hoc testimonio Platonis, viri omni ingenii & eruditio-
nis laude præstantissimi, constare putaverim, qui, in suo de rep. Dialogo, disertis verbis affirmare ausus est, eam rem p. haud optimis auspiciis institutam aut administratam esse, in qua ars Gymnastica desideraretur o). Sic etiam illi judicantes, qui Græciæ formam rerum publicarum dederunt, corpora juvenum laboriosis exercitationibus firmari voluerunt, quod Spartiatæ, teste Cicerone p), etiam in feminas transtulerunt, quæ nostris in urbibus mollissimo cultu parietum umbris occuluntur, nec
levis-

m) H. MERCURIALIS I. c. L. I. C. 7.

n) H. MERCURIALIS I. c. Cfr. CICERO de Oratore, L. II C. 5.

o) PLATO I. c.

p) Quest. Tusc. L. II; p. 1124. b. Edit. Schrey, 4to.

levissimam quidem venti & tempestatis injuriam sine incommodo ferre possunt. Neque vero hæc ars solummodo apud Græcos & Romanos in honore fuit, sed etiam inter majores nostros, a quibus permulta prudenter & cogitata & facta sunt, haud mediocriter viguit q). Non enim se luxui aut inertiae corrumpendam dare, sed equitare, jaculari, lucta cum æqualibus certare, mos juventutis & ludus fuit. Singulas autem exercendi rationes ut investigarem & percenserem, quamquam animus antiqui moris amantissimus, inclinaret, vetat tamen operis finis & ratio. Nonnulla tamen tum ex Græcorum & Romanorum, tum etiam ex majorum more, passim, uti quæque memoria digna videantur, afferre placebit.

III. *Gymnastica* igitur, de qua hic quærimus, in iis omnibus exercitationibus, quæ ad corporis membra apte conformanda & firmanda, ad naturales motus ususque levandos pertineant, versatur. Cum vero aliæ exercitationes, in communi quodam usu & facultate positæ cernantur, quarum ad inventionem homines solo naturæ ducti, nullis artis præceptis cognitis, aut doctoribus adhibitis, perveniant; aliæ contra arte & ratione conclusæ, callidis & peritis hominibus inventionem, aut certe perfectionem, debeant, factum est, ut, quæ non nisi in illis versatur, *Gymnastica Naturalis*, quæ

q) LOCCENII Antiquitat. Sueo Gothicarum L. III. C. III.
p. 139 seqq Edit. Ilida.

quæ autem in his, *Artificioſa* appellaretur. Scilicet Gymnasticam & Musicam ejusmodi esse, quæ una enim hominibus quasi nascantur, quæque inter omnes feros & barbaros populos locum & sedem habeant, is facile videbit, qui historiam hominis, per varias suas ætates & conditiones, persecutus fuerit. De *Gymnastica* quidem, quoniam de ea quærimus, satis testatur experientia. Infantes enim & in primis pueri, modo bonæ fuerint corporis & animi valetudinis, ambulando, currendo, saliendo, equitando, mirum in modum delestantur. In quibus omnibus non quæritur utilitas quædam necessaria, sed animi libera delestatio. Videmus, ut non conquiescere infantes possint; cum vero paululum processerint, lusionibus vel laboriosis delestantur, ut ne verberibus quidem deterreri possint: eaque cupiditas aliquid semper agendi laudanda magis est, quam vituperanda: adolescit una cum ætatibus, & majora negotia consecutatur. Et hæc fuit prima artis origo. Progresu vero temporis, hæc ipsæ corporis exercitationes, quæ vulgari quodam more & ratione instituuntur, partim ad artem & præcepta revocatae sunt, partim novæ & plures his adjunctæ, quibus melius id, quod volebant, ut corpus firmum & agile redderetur, consequi licet. Neque enim ambiguum videtur, quæ homines in exercendo sua sponte faciant, hæc posse multis augeri rationibus, variis modis perfici, in artem redigi, & sic magis ad eam, quam quærimus corporis firmitatem & agilitatem parandam, apta redi

di & idonea. Quo factō, Gymnastica Artificiosa
nata & alta est r). Quare ille, cui educandi cura
mandata erit, his exercitiis semper interesse de-
bet, non solum ut pericula (quid enim a pericu-
lis immune?) grayiora & vitæ noxia propulset,
sed etiam ut artis præceptis, ad cognoscendum
necessariis, suo exemplo melius citiusque discipu-
los imbuat & erudiat. Neque eorum auctoritate
moveor, qui dicunt, liberos in corpore exercendo
solam naturam, utpote optimam magistram & du-
cem sequi debere, nihilque omnino artificio &
præceptis dandum. Hoc enim ut multimodis pe-
riculosum, ita certe parum ad id, quod volumus,
accommodatum mihi videtur.

IV. Hisce itaque expeditis, nonnulla eorum;
quæ, communi omnium consensu, huic arti relictæ
sunt, quæque, nostris temporibus accommodata,
facile & sine magno multoque apparatu institui
possunt, Lectorum judicio subjicere luet. Ut
autem ceteris corporis exercendi generibus, sim-
plicitate & usu, hominibus naturaliter insito, ante-
cedit, ita loco mihi prima erit

AMBULATIO. De qua hoc diligenter caven-
dum est, ne pueri in gressu aliquas depravitates
suscipiant, quæ postea aut numquam, aut certe dif-
ficillimo

r) NIEMEYERS Grundlætninger for Opdragelse og Under-
viisning. Øfv. af GULDBERG, Køpenh. 1800. I D. p. 47.

ficillimo negotio, corrigi possunt, & ne incessum sibi contra naturam fingant, quod qui faciunt, continuo indicant, non adesse constantiam, eorumque, quibuscum sunt, risum & nauseam movent. Cui tamen rei, de qua multa apud Gutsmuths s), diutius immorari, nec locus, nec animus est. Alium enim, longe alium ex ambulatione fructum querimus. Tenet enim modicum corporis motum & exercitationem, quæ omnibus fere omnium hominum æstatibus omnibusque anni temporibus convenit. Si ullum, inquit H. Merculialis, est exercitationis genus, quod illis, qui sanitati operam navant, maxime querendum sit, quodque ceteris quibuscumque frequentius, a cunctis fere hominibus, omnique tempore exerceatur, unam procul dubio deambulationem esse, nemo negabit t). Clarissimi omnis memoriæ Medici una quasi mente & voce consentiunt, modici motus & exercitationis hanc vim & rationem esse, ut celeritatem sanguinis augent, eumque per venas, in omnes partes corporis, diffundant, concoctionem cibi potonisque & detractionem alimenti, tum quæ in sensus cadit, tum quæ oculis cerni nequit, levent & adjuvent, omnia denique corpori & valetudini utilia aut noxia, ventilabri instar, quod paleas & spicas inanes flatu propellit, purum eudem fructum separat & accumulat, solvant, moveant & per

c

meatus

s) L. c. p. 470.

t) L. c. L. V. C. XI.

meatus sudoris e corpore elicant u). In quibus valetudo bona tota sita est. Quid igitur absurdius, aut, ut verius dicam, quid magis impium a parentibus fieri potest, quam infantes cubiculis & intimis domuum recessibus occultos & inclusos tenere, omnesque in campos ambulandi excursiones, quasi rem ipsis funestissimam, jussis & flagellis prohibere. Si enim validos eos & salvos esse volamus, potius primo ortu, si per tempestatem licet, ex cubiculis & intimis domuum penetralibus educendi sunt in lucem, in solem, in pyrum & tenuem aërem, cuius fructus ad vitam sustentandam & vires reficiendas uberrimus percipiatur. Quemadmodum enim herbæ in agro latores, quam sub tecto vigent, ita infantes aperto cælo aperaque vento commissi, vegetiores & validiores, quam intra parietes, in lectulo hærentes, adolescent v). Quo autem ambulatio ad corpus invendum ac recreandum melius & firmius possit, non semper in planicie camporum inambulemus, sed

u) GUTSMUTHS I. c. p. 201. seqq. De transpiratione insensibili, ejusque usu & ratione copiose explicat N. RÖSEN in Compendio Anatomi. pp. 226 & 227. Stockh. 1738.

v) Quantum hoc etiam ad oculorum aciem valeat, præclare ostendit HUEELAND in libello suo, qui inscribiatur: Råd til Førældrar, rörande de vigtigaste punkter af Barns physiska upfostran. Öfv. Stockh. 1799. p. 26.

sed saepius, Demosthenis exemplum sequentes, adscensu & descensu ingrediamur arduo, interdum longiora conficientes itinera. Quibus itineribus si intersit prudens & peritus magister, puerorum animos, suavibus colloquiis instituendis, omnibusque rebus, quæcumque occurrerint, novis & inauditis explicandis, erudire & instruere poterit.

GRALLIS INCEDERE, non solum ad firmum & habilem in librando, ad motusque levem corporis statum; sed etiam variis locis & temporibus ad multa vulgaris vitæ commoda, pertinere existimamus. Grallæ autem constant duabus perticis, furculas habentibus, quibus nituntur, qui iis incedunt. De quibus C. P. Funke ita: *In einigen heissen Ländern läuft Jung und Alt, (wie ein berümbter Schriftsteller (x) sagt) auf Stelzen über den brennende Sand sicher und ohne Empfindung her, und setzt über Gräben und Bäche. Der Stelzengänger kann auf Reisen sich manchen Umweg ersparen, indem er mit seinen künstlich erhöhten Beinen flache Wasser und Moräste nicht scheuen darf. Auch kommt man auf Stelzen geschwinder fort, da man mit denselben grössere Schritte machen kann, und die Beine, durch die mitwirkende kraft der Arme, unterstützt werden y).*

C 2

SOLEIS

x) FRANK.

y) Allgemeines Lehrbuch für Bürgerschulen, 2 Band,
P. 79 & 80 Berlin 1796.

SOLEIS LIGNEIS FERRO INDUCTIS INCEDERE,
 præ omnibus exercendi generibus singulari & fe-
 re innumera utilitatum præstantia se commendat.
 Hoc enim non minus ad totius corporis figuram,
 agilitatem, firmitatem, frigoris denique & vehe-
 mentioris venti patientiam, quam ad liberam &
 honestissimam animi oblationem excellentem vim
 habere, nemo, qui aut ipsam artem noverit, aut
 pueros viderit, cum se in glacie exercearent, nega-
 bit. Et cum aliquis ludus sit pueris conceden-
 dos, quis hoc aptior esse potest, qui, ab honestatis
 actionibus non alienus, magnam præbeat utilitatis
 copiam. Praeclarum enim Horatii illud:

*Nimirum sapere est abjectis utile nugis
 Et tempestivum pueris concedere ludum z).*

Quod exercendi genus (utpote nostris hominibus,
 qui sub septentrione, in magna aquarum multi-
 tudine, degunt, cum primis accommodatum) apud
 majores, quibus ex eo nomen *Skridfinnar* tribu-
 tum, maximo in usu & honore fuit, ut in bello
 hostem celeritate pedum persequerentur, & in pa-
 ce feris per nives insidiarentur a).

z) Epist. L. II. E. 2. v. 141 & 142.

a) OLAUS MAGNUS L, I, C. 5. ADAMUS BREMENSIS Hist.
 Eccles. C. 231.

duos annos, salvis privilegiis, ab Academia abesse, & ex iis, qui eam frequentabant, plurimi pauperate laborarent, atque adeo aliis ad litterarum elegantiam instituendis alimentum sibi parare cogentur, eandem paragraphum Rex clementissimus ita explicavit, ut, si quis rerum, quæ ad usum vitæ pertinerent, inopia premeretur, ille, testimonio Pateroni de honesta vivendi ratione prolato, Consistorii Academicæ Protectoriale acciperet, ex quo, adhuc biennium ab Academia abesse liceret 11).

Lætæ jam & tranquillæ Musæ per viginti & quod excurrerat, annos ad litora ultimæ Thules habitaverant & multos suarum deliciarum cupidos ad se allexerant, cum subito belli rumore, tamquam iœtu fulminis leviter attrectatæ, magnum sibi metum & horrorem injectum sentirent. Fama enim exiit, Eis & omnibus Sveciæ incolis bellum parari a Danis, quibus, maximis apparatibus factis, jam in animo erat, hostilem in modum Sveciam visere. Itaque ut proxime quisque Sinui Codano habitavit, ita maxime timuit, ne cum bonis vitam quoque perderet. Imprimis vero Professores & Cancellarius Academiæ Carolinæ solliciti fuerunt, quomodo res ejus mobiles, easdemque pretiosissimas, reponerent atque conservarent. Qua autem sollicitudine Rex serenissimus eos ita liberavit, ut omnia Academiæ Acta & litteras, pecunias & res naturales Calmariam, pretiosiores vero libros, arcis inclu-

clusos, Wexioniam mitti juberet 12). Jusso quoque obtemperatum est, sed paullo ante, quam res inclusæ mitterentur, latus nuncius venit, Danos cum Svecis pacem constituisse 13).

¹⁷⁴⁴ Magna hoc tempore fuit copia eorum, qui, cum litteras discendi causa ad Academiam venissent, neque tamen posse, neque velle in iisdem proficere putarentur. Per litteras ergo ea, qua fas erat, modestia Cancellarii Academicarum nostrarum a Rege enixe petierunt, ut, quæ de ratione in Scholis, Gymnasiis & Academiis, litteras discendi aut tradendi causa præcepta fuissent, eadem, additis quibusdam regulis, omnibus Episcopis Scholarumque & Gymnasiorum Inspectoribus ad exsequendum, iterum proponerentur. Voluerunt autem Cancellarii, primum ut, quibus rei Scholasticæ & Academicæ cura tradita fuisset, præcepta sextæ paragraphi ejus Edicti, quod in normam Scholarum, anno 1724, promulgatum fuerat, diligenter tenerent; deinde ut, cum litterarum studiosus ad Academiam venisset, & ex capite IX & parag. IX constitutionum Academicarum, a Decano examen institueretur, id in Academia per aliquas horas publice fieret, in quo, si examinandus ea, quæ in Scholis aut Gymnasiis traduntur, mente & memoria nondum comprehendisse videtur, statim ad eum locum, unde venerat, aut ad aliud

12) Litt. Reg. d. 27 Sept.

13) Prot. d. 24 Febr. § 32, a. 1744.

aliud vitæ genus dimitteretur; tum ut examina Theologica, Stili, & Rigorosa, præsente Rectori Magnifico, Facultate philosophica & tota Corona studiosorum, instituerentur. Octavo autem die, in tabula nigra, ante indicaretur, quam quis examen subiret Rigorosum, quod ab hora viii ad xii ante, & a ii ad iv post meridiem fieret, omnibus & quæstionibus & responsis fideliter litteris mandatis. Die vero postero, quam examen habitum fuit, Philosophica Facultas conveniret, de examinatis judicaturi. Ex iis autem, quæ supra commemoravimus, quid & quantum in posterum pro lege fuerit, ex protocollis, litterisque Regiis & Cancellarii, quas vidimus, non satis patet 14).

Pastore ordinario jam caruerunt ecclesiæ Stafje & Lackalånge, quarum cura pastoralis Professorum cuidam in Facultate Philosophica injuncta fuera, sed hoc tempore nonnulli extiterunt, qui hoc munus a Professoribus separatum vellent. Commendatione autem Illustrissimi Cancellarii, jussit Rex clementissimus eis, cum vacarent, semper præfici quendam Philosophiæ Professorem. Qui autem præfectus erat, ille de Præbenda sua, si qua utebatur, decederet, cuius annuus reditus cuidam ex Philosophiæ Adjunctis pro mercede foret. Qui vero reditus, si minoris pretii quam centum thalerorum monetæ argenteæ æstimaretur; ex x thale-

14) Litt. Cancellariorum CARL GYLLENBOORG, O. CEDERSTRÖM & JOH. GYLLENBOORG, Holmiæ d. 4 April,

thaloris imperialibus, qui olim salarium Præpositi Convictorii, jam singulo anno reservabantur, tantum sumeretur, quantum ad eam summam pecuniae conficiendam sufficeret 15).

Fuit hoc tempore in Consistorio Academico aliqua dissensio inter Procancellarium & Rectorem Magnificum de voto decisivo, quod Hic ex capite vi & § III Constit. Acad. suum esse voluit; quam item Summus Imperans ita composuit, ut Pro cancellarius, qui semper in Consistorio, cum de vacuis Professorum munib[us] ageretur, adesset, ex privilegiis Acad. Carol. §§ I & IX votum decisivum, quoniam vicibus Cancellarii fungebatur, faceret 16).

Quod si Consistorii Academici de re quadam sententia desideraretur, Rex aut Magistratus, qui illam desiderabant, non Protocolli solum, quo tenebantur vota & consultatio Professorum, sed ipsius quoque sententiæ, plurimorum Professorum votis nixæ, participes fierent, ut illi, qui Consistorii facto de re iudicio non contentus esset, ipsum iudicium, non protocollum legendum traderetur 17).

Multis jam annis Academia Carolina non accep-
perat id genus tributi, quod ex prædiis, in Præfectura Malmöhus & Christianstad sitis, quæ Decumas Epi-
scopales & Scholasticas pendunt, Academiæ nomine

Ar-

15) Reg. Litt. d. 4 Decembr.

16) Reg. Litt. d. 12 Junij;

17) Litt. Reg. d. 24 Octobr.

Arrhæ stramenti & decumarum (Halmstädja och Tiondestädja) solveretur, cum tamen aliquando, ex edicto Regio d. 25 Nov. a. 1692, septimo quoque anno ad ædificia Academiæ aut exstruenda, aut reficienda, collatum fuisset. Per litteras autem Rex decidit atque constituit, quæ solverent & quæ immunia essent, jussitque, si id tributum in ærario Provinciali depositum fuisset, Carolinæ rependi 18).

Refectum quoque fuit & cœnaculum, quod nunc temporis gladiatorium dicitur, ut exercitia digladiandi ibi haberentur, & conclavia, quibus Bibliotheca Academica asservabatur 19). Aucta vero fuit Bibliotheca multitudine librorum, imprimis qui juris scientiam spectarent, quorum nomina, si quis cognoscere cupiat, citata loca videat 20). Jubente jam Cancellario, in Consistorio decretum fuit, ut villa Lundensis muro, lapidibus exstructo, circumdaretur, & qui clivuli & cavernulæ in ea essent, complanarentur, lapidesque, qui ibi effodiebantur, ad muros circa eam conficiendos, adhiberentur 21). Et hoc anno muri, ad orientem & occidentem vergentes, instructi fuerunt 22).

d

Duo

18) Reg. Litt. d. 18 Julii.

19) Prot. d. 26 Jan. § 4. d. 2 Febr. §§ 32 & 33.
d. 12 Martii § 4.

20) Canc. Litt. d. 1 Jun. & 24 Aug. Prot. d. 29 Febr.
§ 13, d. 12 Martii § 5.

21) Prot. d. 8 Junii § 5, p. 440, & d. 12 Jun. §
1, p. 456.

22) Prot. d. 9 Oct. § 25, p. 791.

Duo hoc anno festa prae ceteris Carolinæ foliemnia fuerunt; alterum die III Maji, qui natalis erat Principis Herediterii, ADOLPHI FRIDERICI, quem Juris Adj. LAUR. COLLING, & litterarum Studiosus PETR. SCHÆY JOHANSSON panegyricis orationibus celebrarent 23); alterum, sed magis festum latumque die XVI Julii. Recensuerat enim ipse Princeps augustissimus ADOLPHUS FRIDERICUS nonnullas quæ in Scania erant, legiones & Malmogiam die XII Julii venerat. Unde cum die XVI profectus esset, Lundam, hora circiter II p. m. venit, ubi Senatus Academicus & Urbicus, Oppidani, Agricolæ, Pedites Equitesque lætis clamoribus & sonitu Bombardarum Eum excipientes, ad hospitium, ædes cel. Professoris HARMENS, comitati sunt. In quibus, quoniam potentibus ad se aditum dedit, cum paululum esset commoratus, hora quinta, nobilissimorum amplissimorumque hominum corona stipatus, ad Auditorium, omni ratione vestitum atque exornatum, Se contendit. Cum jam quisque suum occupasset locum, Rector Magnificus in Cathedram adscendit, & panegyrica oratione meritissimas devotissimasque egit gratias, quod Carolinam adire, visere & salutare non dignatus erat. Cum autem peroratum esset, Princeps augustissimus Consistorium, Bibliothecam, Museum rerum naturalium conspexit & instrumentorum machinarumque, in quo cel. Professor HARMENS Antliæ Pneumaticæ experimenta instituit. Viso tandem Temple, & pre;

23) Progr. AMBD. WESTRING, d. XI Maji.

precibus ibi verspertinis recitatis, apud Episcopum & Procancellarium HENRICUM BENZELIUM cœnatum ivit. Postero die, hora ix a. m. Holmiam repetiit 24).

Promotio autem Doctoralis in Medica Facultate, mense Julii, dieque xxx peracta est, cum Medic. Licent. MARTINUS REEF, Norcopensis, Medicinæ Doctor crearetur 25).

Cancellario interroganti, utrum Ille, an Consil. 1745 storum Academieum tres ad vacuum Bibliothecarii munus idoneos viros commendaret atque proponeret, Rex respondit, semper, ut Upsaliæ fieri solitum fuit, ad Bibliothecarii munus aptos Illum commendaturum, & etiam vice Bibliothecarium atque Amanuensem constiturum esse 26).

Illam pecuniam, quæ titulo pecuniæ cereorum (Vaxljusmedel) soluta fuerat, Academia a multis Ecclesiis, in Præfecturis, Malmöhus, Christianstad, Carlsrona, Halmstad & Götheborg sitis, jam diu non obtinuerat, sed Cancellario rem apud Regem commendante, eam pecuniam Academiæ, idque ante diem xv Julii, singulo anno, solvi jussum fuit 27).

d 2

Ma-

24) Prot. d. 18 Julii § 11, p. 536.

25) Progr. G. HARMENS, d. xxix Julii,

26) Reg. Litt. d. 24 Apr.

27) Reg. Litt. d. 8 Nov.

Magnam & egregiam nummorum copiam vi-
dua FLORENTINA STOBÆA morte mariti, Professoris
& Archiatri KILIAN STOBÆI, acceperat, & eam ad
emendum Academiæ obtulerat. Atque eintio ea
conditione facta est, ut pro ea ducenti thaleri mö-
netæ argenteæ singulo, quoad viveret, anno illi sol-
veretur. Fuit hæc emendi ratio Academiæ lucrosa,
utpote cum constet, istud museum nummorum æsti-
matum stisse ducentis thaleris imperialibus, & an-
no ad finem vergente, mortuam esse viduam, ut
pro hoc Numophylacio duecenti thaleri monetæ ar-
genteæ semel tantum soluti sint 28).

Consistorio Academico tres viros ad vacuum
munus proposituro, id voluit Cancellarius tenen-
dum esse, ut quo quis plura tulisset suffragia, eo pri-
orem locum haberet. Si suffragia essent paria, ille,
qui dignitate primus erat, primus proponeretur.
Sin essent eadem dignitate, ille tamen primus no-
minaretur, qui muneri suo diutius præfuerat.
Quod si pro Magistris Docentibus æque multi suf-
fragati fuerant, ille, qui simili munere petito, antea
commendatus fuerat, primus proponeretur. Quod
Cancellarii institutum, Regiis litteris, die 6 Octob.
anno proxime sequenti datis, sanctum fuit 29).

In Consistorio jam decretum fuit, ut, qui
Professoris muneri diutius præfuerat, ille, quod sibi
ma-

28) Litt. Reg. d. 7 Maii. Litt. Canc. d. 4 Oct. & Prot.
d. 13 Martii § 11, p. 55.

29) Litt. Canc. d. 20 Dec.

maxime placeret, auditorium ad prælectiones suas habendas, eligeret 30). Quæ autem sunt Professorum in Templo Cathedrali subsellia, illa, ut Upsaliæ factum est, panno rubri coloris amicirentur 31). Ex protocollo vero, quod anno 1746, die 7 mensis Maji, § 16. p. 325, conscripto, constat ea non Academiæ sed Rectoris Magnifici sumtu amicta fuisse.

Multa hoc tempore de horto Botanico, de¹⁷⁴⁶ domo aut plantis fovendis aut viridario conservando idonea, de Theatro Anatomico & Equitandi Schola exædificanda disterebantur; hoc autem anno ædificari non cœptum est, sed earum ædium pictura linearis, sive designatio a primo Intendente von HORLEMAN delineata & Regi probata est. Præterea Olitor ADAM FAST, qui horti curam gereret, a Cancellario his conditionibus constitutus est, ut ei, præter gratuitum domicilium & duos, ad labores in horto Botanico perficiendos, famulos, qui Academiæ impensa alerentur, tricenti thaleri monetæ argenteæ, annuæ mercedis loco darentur 32).

Bibliotheca vero Academica incrementum jam inde cepit, quod ille, qui Cancellarii a litteris erat, JOHANNES ANDR. KLINTIN copia Regiorum Edictorum & Rescriptorum, quæ inde ab initio anni 1719 ad finem 1743 evulgata erant, Aca-

de-

30) Prot. d. 12 Febr. § 16, p. 22.

31) Prot. d. 17 Sept. § 4, p. 191.

32) Prot. d. 2 Oct. § 2, p. 202.

demiam donabat, pollicitus se ea, quæ ab anno 1660 ad 1719 edita fuerant, in usum Academiz collecturum esse 33).

In duabus Facultatibus hoc anno creandi panegyris facta est; in Philosophica die xviii Junii, cum LXXV viri juvenes artium liberalium Magistri crearentur; in Medica die II, mensis Nov. quo Medic. Licentiat. KILIAN STOBÆUS J. F. summis in ea Facultate honoribus decorabatur 34).

Quæ de horto Botanico excolendo anno proxime præterlapsso Cancellarius & Consistorium Academicum instituerant, ea, additis nonnullis, quæ eam culturam spectarent, Regiis litteris, jam rata facta fuerunt. Permisit enim Rex serenissimus, ut XII operarii in usum Academiz assumerentur, qui singulo anno, idque æstatis tempore, nulla conducta mercede, quoniam in tutela Academiz essent, viginti & quattuor dies in horto laborarent. Qui operarii auxilio, si opus erat, essent sex illis Academiz excubitoribus, inter quos, si morte aut dimissione vacivitas esset, ex duodecim illis unus, qui in locum mortui aut demissi semper succederet, eligeretur 35).

33) Pret. d. 2 Oct. § 3, p. 203.

34) Programmata G. HARMENS d. xviii Julii & 1 Nov.

35) Reg. Litt. d. 12 April.







